C.R. BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS JAGELL. CRACOVIENSIS
22646
III Mag. St. Dr. P

22646

~~Hist. pol. 9457~~

180

No 102

2rb

1/9 99 1899. IV. 147

~~Hist. pol. G. 57.~~

Complet

6. 34 276. 84 SXXV 410
EXVII 1/483

BENEFICENTIA

Optimis in Patriam meritis,

Refertissimisq; in Ordinem Seraphici Patris FRANCISCI muneribus

CONSPICUA

ILLUSTRISSIMI
DOMINI DOMINI

JOANNIS JUDYCKI

CASTELLANI Minscensis &c. &c.

Fundatoris in Ordine FF. Minorum Observantium amplissimi, Sustentatoris Capituli ejusdem Ordinis Gratiosissimi.

Orationis officiô, unâ cum Thesibus Theologicis Sibi dicatis

EXCEPTA

Ab addictissimo Suo Nomini Capitulo Provinciæ Litvanæ S. CASIMIRI Ordinis FF. Minorum Observantium

Annô Domini MDCCLX Mense Januario.

Typis Ducalibus Collegii Nesvisiensis Societatis JESU



22646 III

BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

DEDICATIO

GRatitudinis officium, quod vi sustentati de TUO *præsentis Capituli, Thesiumq́; Theologicarum à nostræ Scholæ alumnis* TUO *patrocinio dedicatarum, aliorumq́; cumulatorum in nos meritorum,* TIBI ILLUSTRISSIME DOMINE Fundator Gratiosissime, *debetur: si ad hocce incultum, rude, limæq́; egens, ad quantamcunq́; tamen Nominis* TUI *commendationem relinquendam susceptum, attenderis opus, nunquam non modo referendâ, sed ne cogitandâ quidem gratiâ* TUA *beneficia consequi præsumitur; cum nec deliberandi locus, nec cogitata fere ut fortuna tulit, in chartam* conjecta, *expendendi tempus superfuerit ullum, ut quantum amplissima* TUA *Senatoria dignitas exposcit, ornata in oculis* TUIS *videantur: si verò ad voluntatis nostræ rectam, sinceramq́; propensionem animadvertas: si quid votorum, si*

quid beatitudinis, si quid felicitatis alicubi repertum sit, in TUAM magis ac magis conflui fortunam precatur. Alterum ex his veritati passim detrahit laudis, alterum quidquid facultatis in animis situm est, iisdem cupiat suppleri. Utrumq; tamen de TUA innata erga nos benevolentia animum sumentes, ausi sumus TIBI sacrum facere: primum, ut studii nostri, voluntatisq; erga Te propensæ firmiorem testem, ac obsidem habeas: alterum, ut animos, ac omnia nostra TIBI obstricta jure effusæ in nos beneficentiæ intelligas. Quod si hoc debitum officii, ac pietatis in Te nostræ argumentum, observantiæq; pignus æqui, boniq; consultum à Te videbitur; ut pollicemur nobis nunquam TUA eripi gratiâ, ita nihil magis desideramus, quàm ut ad amplissimas quasq; Reipublicæ dignitates longissimas salvus, & incolumis emetiaris ætates.

Ita precatur

Nomini & Honori TUO perenniter addicta

Provincia Litvana S. CASIMIRI

Ord. Min. Reg. Observ.

ORATIO

IN hoc celeberrimo lectissimorum Patrum confluxu, atq; totius Provinciæ Observantis Litvanæ Capitulari congressu, ad quam sustentandam Te *ILLUSTRISSIME DOMINE* non propriæ laudis stimulus, aut alicujus lucri cupiditas, cùm id beneficii munus inopibus, egenisq; ac omni, quod desiderari possit temporali bono destitutis Religiosis collatum sit, sed singulare pietatis studium, ac incredibilis erga Ordinem nostrum benevolentia commovit, si quis fortè reperiatur, cui mirùm admodùm videatur, quòd nos non levia totius Provinciæ negotia, gravesq; curas cûm Scholasticis Thesibus Nomini Tuo *ILLUSTRISSIME DOMINE* subscriptis intercipere, tum oratione Nomen tuum quantùm spectata voluntatis nostræ propensio fert, celebrare aggressi sumus, is, si ad consilii nostri rationem animadvertat, causasq;, quibus nos ad audendum plurimùm incitati sumus, perspectas habeat, non modò nos in id officii genus descendisse æquè judicabit, verûm etiam ipse, quod omnium nostrùm ore, lingvis ac gestibus prædicatum sit, celebrabit. Cùm enim nullos, aut certê paucos quavis rerum tempestate hominês reperies, quos sibi illustrium virorum pietas, clementia, rebusq; egenis succurrens liberalitas non nacta sit laudatores, tum certê nulla laudum ejusmodî causa justior excogitari, aut campus loquendi excurrere amplior potest unquam, quâm, si cumulato, atq; ad summum apicem perducto, Fundatorum suorum beneficio gratitudo animi, omnes labores, conatus, & studia conferantur. Hoc quippe pactô facilê occurritur, ne & homines belluîs inferiores videantur, quôd

læ quantùm per jus naturæ licuerit, hero curam sui gravi jugo pergunt compenſare, & ipſa liberalitatis virtus, quæ sine acceſſione viciſſitudinis obſequiorum gemmæ inſtar non circumpositô aurô, sed obſcurô delitescentis locô sic posita eſt, ut nequé reliqui omnes ad illam colendam debitô sibi miniſterio invitentur, neq; ii, quos jam eadem animi benevolentia in certo collocavit gradu, novum ad eam amplificandam ſumant affectum. Tolle gratitudinem â benefactis, quid nisi sol sua, quam effudit luce, mare fluminum, quibus se exoneravit, ingreſſu, arbor, quos produxerat fructibus ſpoliata relinquentur? denega beneficio debitam animi gratitudinem, pretium quidem ejus haud minues, grande tamen & monſtrosum naturæ rationali piaculum inuras, neceſſe eſt in eo, quem multi tituli obſequiosum reddere debuerant, ut pæne hominem extingvat, rationisq; expertem, ac recta voluntatis operatione mancum efficiat: at si beneficium sequatur officiorum viciſſitudo, quanta hinc Illuſtriſſimorum Virorum clementia, quanta animi teneritudo, quam deniq; pulchra opum inter egenos collocatio oriatur oportet, nemo eſt, qui non videat.

Hoc cùm de cæteris, quos eadem animi pietas, atq; clementia commendatos eſſe voluit, certum eſſe videatur, tum de Te omnibus virtutibus, ac meritîs conſummato *ILLUSTRISSIME DOMINE* exploratum, indubitatumq; neceſſe eſt, habeamus. Si etenim mentis noſtræ oculos, animumque in Tua præclara naturæ intenderimus decora, nihil eſt, quod beneficentiam, cæterasq; eximias non redoleat virtutes; eas nempe, quæ flammæ inſtar compreſſæ sinu contineri haud patiantur, ni in commodum erumpant aliorum, ob quas Tu *ILLUSTRISSIME DOMINE* cùm non minûs ſpectabilis, quàm reverenter amabilis apud homines exiſtas, dignus factus es, qui omnium voce, & genio beneficentiæ, & indolis magnitudine par orbitæ ſolis proclameris, quòd perinde ac ipsa, totus in communem multorum effundaris utilitatem. Norûnt quippe probê ingenii Tui vim atq; robur ii, quos ad Te confugientes perpetuîs colis officiîs, & conſiliîs erudis sapientissimîs; norûnt humaniſſimam morum, voluntatisq; ſvavitatem

tatem ii, quibus pluribus in subselliis Vir præstantissimus, meritis in Patriam maximus præsidiô fuisti: norûnt insignem in Superos pietatem, & munificam liberalitatem ii, quibus ædes sacras Divorumq; aras pretiosê cumulatas in patrimonium reliquisti. Novimus & nos Fundationis titulô, & sustentationis moderni Capituli obligatione dupliciter Tui, quanta benignitate, ac benevolentia animi nos prosequeris, quàm ardenti studiô Religionem nostram adamaveris, eamq; optimis de Tuo muneribus ac opibus cumulaveris. Hac de re nemini eorum, qui hic frequentes adstant, si ad suum quisq; referet animum, quantum oporteat Fundatoribus hônorem, reverentiamq; exhibere, mirum videatur, nostras Panegyricas acclamationes gratitudinis ergò exponi Cùm è contrario, quæ tandem nostra presertim culpa non esset: si, quòd omnium hominum consiliô, ac ratione conclusum esse non ambigimus, ut suis Fundatoribus, ac Benefactoribus eximius ab iis, quos suis cumularûnt donis honos deferatur, omnem tamen voluntatis, officiiq; nostri significationem silentiô præterire, atq; istud obsequium detrectare videremur? quod non crimen: si illos, quos in hoc Capitulo uberrimos per omnia percepimus favores, manifestis negligeremus indiciis demonstrare? quæ non injuria: si, quæ Senatoribus, quæ Magistratibus, quæ aliis quoquò modò de Patria benè meritis Civibus deferri debeat prædicatio, hanc eamdem Fundatori Amplissimo negaremus? Absit hæc turpis socordia à nobis, absit! neq; ferre nostrûm id quisquam potest, simul atq; in mentem venerit, quòd nunquam non obsequiosa suis Fundatoribus ac Benefactoribus exstiterit Minorum Observantia Accedit, quòd cùm de Te *ILLUSTRISSIME DOMINE* in præsentiarum nobis sermo instituendus sit, multa celeberrimarum Tuarum virtutum ac meritorum ante oculos nostros obversari videmus, quæ in infinitum perductæ Orationi copiam dicendi suppeditarent, solam tamen & unicam tenerrimi animi Tui benevolentiam cominus permittes intueri, quâ cum nobis beneficus, tum Patriæ optimê meritus existas; duo pariter erunt Orationis momenta. Alterum beneficentiæ Tuæ in Patriam genus: Alterum in Ordinem no-

ſtrum. Illud excellentiæ Tuæ decus, hoc gratitudinis noſtræ officium, ſin minùs utrumq; penſiculatè atq; ornatè attingemus, noſtræ imputa ubiq; paupertati. Aderis, quòd enixè precamur eadem benevolentiâ, favebisq;.

Multæ eæq; eximiæ virtutes, etsi cuivis hominum nobilitatis origine, probitatis fama notabili ineſſe debent, propterea quòd rationabilis mortalium generis virtus sit vita acofficium, in iis tamen, qui principem dignitatis locum tenent, quosq; per omnia commendatos, atq; laudatos eſſe convenit, tantò majores ac majores relucere fas eſt, quantò ipsi cæteris præſtantiores eſſe videantur. Nam cùm ſpectabilium honorum majeſtas, populorum admiratio, deliciarum illecebræ, rerum omnium copia, Virorum in summo dignitatis apice conſtitutorum mentem plerumq; pervertere solent, tum, ut declinare tam graves scopulos valeant, nomenq; virtuosi pariter, ac magnanimi viri verè retineant, animus de se modeſtè ſentiens, continentia ſingularis, comis humanitas, rebus in agendis prudentia, in adversis fortitudo, in affluentibus temperantia, in omnibus æquitas judicii, quæ ſemper dignitatis comes eſt, intacta denùm morum integritas, requiruntur. Ea quippe virtutibus ac carbonibus sese mutuo foventibus, ut ignem conservent, ineſt societas, ut una absq; altera illarum, nequè homines cohoneſtare, neq; vocabulum sui tribuere queat, nisi omnes simul, aut certê quàm plurimæ arctisſimo jungantur fædere; ut si prudentiam à fortitudine separes, aut è contra, neceſſe eſt fortitudinem simul & prudentiam extinctas fore, si verò unam alteri ſuperponas, ut in suo utraq; permaneat gradu, viciſſim sibi ſubsidio ac adjumento eſt At quid eſt inter præſtantiſſimas animi dotes tam rarum, tamq; ſublime, quòd in Te *ILLUSTRISSIME DOMINE* ſeu ad commendandam naturæ indolem, seu ad rectè inſtituendam ex præscripto virtutum vitam, dignitatisq; Tuæ moderationem desiderari posſit; cujus ampliſſimæ dotes, atq; ad quodvis dignitatum genus perquàm idoneæ, si nobis vel memorando percensendæ forent, fieret profectò, ut noſtra Oratio metam pertingeret nunquam; longamq; earum ſeriem texere, idem eſt, ac florum, herbarumq; terræ folia, expansi cæli sidera

dera

dera in paginam deducere. Educenda tamen est dictio in pulverem, atq; in aciem, ipsum incredibile Tui studium, ac reverentia dignitatis vocem evocat, jubetq; munificentissimo Fundatori grati animi atq; studiosissimæ, voluntatis quantamcunq; proferre significationem. Et quemadmodum ii, qui albo Argonautarum nomen dedêre perquàm ingeniosè facere solent; ut, dum subductîs in altum Oceani navibûs vastissima undequaq; aquarum itinera arceri littoribus conspiciunt, nullumq; iis frementium riparum seu ad humidum Austrum, seu ad frigidum Boream, seu ad Orientem, Occidentemve oculos convertant, terminum figunt, quaq; se via ad portum recipiant, ad quod sidus, stellarumq; ad cujus figuræ collectam constellationem clavum dirigant, dubii hærent, unius duntaxat acûs nauticæ magneticum sedulò inspiciant indicem, ex cujus immota versùs Septemtrionem acie, in maris viarum, regionum, Provinciarum, Urbium, sat bellè deveniunt positionem: ita nobis quoq; in præsentiarum fiet, qui dum omnes, aut permultas virtutes Tuas *ILLUSTRISSIME DOMINE* Oratione ista comprehendere nos non posse exploratum habeamus, satis enim cuiq; constat, nostras pertenues, & infirmas esse opes, præstantissimas autem Tuas dexteritates cùm ornatu nullo egere, tum nullis quantumvis splendidissimi ingenii, ac eloquentiæ finibûs contineri posse, unicam tamen ex iis dignitate principem, quæ (ut ait Tullius) *una non solum maxima, sed etiam Mater virtutum omnium reliquarum est*, (*a*) attingere contendemus. Id si consequutum à nobis fuerit, non difficulter concludent alii, reliquas, omnes hanc sequendo, in Te commigrasse. Excipies verò hoc quantumcunq; obsequium nostrum, & siquid in Oratione nostra vacillabit, volumus intelligi officii exhibendi, non ingenii venditandi partes esse susceptas.

Si beneficentia exquisitis gravissimorum virorum effatis non tam elargitione munerum, quàm, quod ipsius character est, rectâ voluntatis propensione, aut quorumcunq; bonorum, seu animi, seu fortunæ effu-

 sione

(*a*) *Cic. Orat. prò Plancio.*

sione effingitur, duô erunt, quantùm nos existimare possumus, quibus eadem in illustribus viris ergà Patriam commendantur munera: obsequiis nempe illam juvare, quod & pietatis genus est, rectèq; de eadem sentire, quod boni Civis officium est. His & si nihil jam superest, quibùs mediis in eam pergendum est, quodq; virô generosô digniûs videatur; si tamen is, quem ita deditum Patriæ suspicimus generis quoq; amplitudine reluceat, tantò Reipublicæ uberius emolumentum, copiosiorq; lætitia oriatur necesse est, quantò ab hominibus altiori loco natis sibi obsequitur. Quare ut nos ab omnium postremo, in quo cætera renitent, ordiamur; Quæ res in unaquaq; stirpe laudis, quæ dexteritatis, quæ meriti, quæ honoris afferre potest, id totum *ILLUSTRISSIME DOMINE* gens Tua compluribûs aliîs in Litvania non inferior hîs duobûs: antiquitate, & amplitudine perquàm optimè complexa est.

De antiquitate ut nos aliquid innuamus, non audemus eam in spem venire, ut Illustrissimæ Domus Tuæ cunas Cratione ista nostra perlustrare, nascentisq; Familiæ fontes, è quibus non minus fæcundissimus, quàm altissimus in universum Latvaniæ pervasit orbem sangvis, retegere possimus, cùm longè retroacta sæcula ultrà & ultrà percursa atq; pervoluta *Judycciorum* vestigiis semper, & semper insigniri, nullumq; è Poloniarum Regibus throni, sceptriq; molem, quam JUDYCCIORUM non adjuvaret dexteritas, sustineri; rerum Polonicarum scriptoribus persvasum sit: si tamen vetusstissimis Historicorum monimentis fides habeatur, prout & nos sponte ad stipulamur; ea sunt JUDYCCIORUM exordia, quæ centenis atq; centenis ab hinc annis sub *Boleslao II* (*b*) seu (ut alii volunt) sub *Boleslao I* Sarmatici diadematis, ac sceptri auctore (*c*) sic jam explicata fore leguntur, ut jam tum nobilissimi Radvani Heroes una manu limites Patriæ strenuè dilatasse, alterâ radices gloriæ Aviti decoris ad non desituram sæculorum memoriam altè fixisse perhibentur. Verùm hi de antiquitate paralogismi integram

quam

(*b*) *Niesiecki Tom: 3: pag: 800:*
(*c*) *Paneg: Vexilli Radv: gloria. Item Paprocki.*

quamvis postulant fidem, si tamen ad ea, quæ antiquitatis verè commendant nomen referenda sint, minores sunt, quos in medium attulimus, majoribus comprobatur Illustrissimæ JUDYCCIORUM Domus indiciis antiquitas. Quid enim juvat famam vetustate nominis fætam buccinante ore per tenuem hominum volare auram, nobilitatis cunas ad Illlustrissimos Majores, Principumq; sangvinem referre; si hæc subinde enormis infidelitatis in Patriam error, jurisjurandi vel maximè libera in gente trangresio, execrabile seditionis crimen, elusit, defædavit, fastidivit. Est profectò non nemo, qui á priscis Urbium, Regnorum, Provinciarum vocabulis sibi nomen imposuit, sed quòd ea extinxit, non fundavit: est, qui quòd evertisset Græciam sit ex eo appellatus Achaicus: est, qui devictâ Macedoniâ magnam cladem genti Macedonum cùm intulisset, dictus est Macedonicus: est, qui á Senatu populoq; Romano, quòd partem Orbis tertiam vastasset bellô, ac perdidisset, vocatus sit Asiaticus: est, qui eversâ ferrò armisq; Numidiâ, sit nuncupatus Numidicus. Nam quid sexcentos appellem alios, aliis antiquitatis nominatos vocabulis, quia Urbibus excisionem, agris inflammationem, Provinciis eversionem, populis desolationem, publicis ac sacris locis populationem intulissent; non in venia danda, aut in gratia miserorum & innocentium ineunda probatum ac liberalem animum demonstrassent. His quid gloriæ? quid encomii? quid bonitatis antiquitas Nominis contulit? conclamante nimirùm sacro Doctore D: Hieronymo: *non diu, sed bene vixisse laudabile est*. Scopus igitur laudis, est antiquitas nominis juncta fidelitati, ac amori Patriæ; his demptis, quid nisi vanum, et inane vetustatis relinquetur nomen, quodq; feritatis potiùs ac injuriæ, quám probitatis, ac fortitudinis monumenta commendant: Quod in præstantissimam Domum Tuam *ILLUSTRISSIME DOMINE*, quæ fide in Patriam nullis interpuncta tempestatibus usq; huc extitit celeberrima, minimè cadere potest, cujus antiquitatem si spectemus, illi ambitiosorum nominum vetustati quám dissimilis est? Quid enim aliud nisi meram sine cujusquam damno præsefert benefaciendi voluntatem?

Cz ut,

ut, si eos, quibus plus amoris sunt res Patriæ quàm vita propria, quæras? IUDYCCII sunt: si eos, quos boni publici zelus absq; ullo personarum respectu in Comitiis, consultationibus, conventibus in trepidosfacit: JUDYCCII sunt, si eos, quos rebus in adversis infracti animi robur constantes commendat; JUDYCCII sunt: si deniq; eos, quos omnia sua saluti Civium contulisse, nullos verò debitos suis meritis honores ambiisse excellentia animi deprædicat, *Iudyccii* sunt; Atq; adeò *Iudyccios* rebus *Patriæ* addictissimos fore, ut penè totius Reipublicæ decus, atq; ornamentum ad eos confluxerit; nec quem quam eorum publici commemorant fatti; quem fidelitas in *Patriam* cum vetustate Nominis non commendaret. Sed quid ego rei toti Poloniarum Regno notissimæ impensiùs incumbo? præstat Viros clarissimos mirari, quàm stirpis antiquissimæ cunarum meminisse: cùm laudes ejusmodi præter quám quòd á Viris omnibus ætatibus inclytis prædicentur; ab innumeris quoq; cùm Oratoribus, tum Poetis celebratæ atq; decantatæ sunt; & tantorum Heroûm præconia ne senescerent, tot mùnimenta librorum ea ab oblivione & silentio vindicarùnt: imo etsi literæ non exstarent, spectabilis tamen corporis Majestas, quæ omne dignitatis genus vi quadam naturæ præstolari videtur, frontis serenitas, vultûs gratia, incessus gravis, animi etiam robur, vividaq; rebus in agendis capacitas, quæ in unoquoq; Vestrûm *ILLUSTRISSIME DOMINE* mirâ varietatis elegantiâ refulgent, ab antiquitate repeterentur; hæ quippe dotes animi, quæ raro homines inter peragrant passu, speciali quadam Numinis dispensatione, ingenti verò totius regni admiratione jure successionis á Majoribus vestris in posteros derivari vix non creduntur, quòd videlicet unius, aut alterius Vestrûm diversa corporis stante imagine, virtute domestica efficiunt omnes perquâm similiimos. Et hic est antiquitatis Vestræ decor.

At quæ deinde amplitudo? ea profectò cum qua pleræq; aliæ collatæ nec numerositate posterorum, nec dignitate originîs audeant comparari, aut in contentionem venire: prætereaq; naturam ipsam excedere videatru

atur. Ampla sunt quidem flumina, sed quæ ab exili latice originem trahunt, postquàm in ingentem excreverint molem; expansæ sunt in tenuem auram arbores, sed quæ á minutissimo seminis grano vitâ donantur, postquàm suum corticem, suas medullas, suas fibras, suas traheas, suos ramos, suas frondes, sua folia, suos fructus latissimè explicent: extensus est ignis, sed qui scintillam hábuit matrem, postquàm in faces, in flammas, diffunderetur: fastigia cæli videntur tangere montes, sed qui ex atomis tumuêre, postquàm ipsis licuit in altum exsurgere: nobilissimæ verò stirpis Tuæ *ILLUSTRISSIME DOMINE* in Regno Poloniarum amplitudo majori naturæ paradoxô, & in magnam extenditur Familiam, & á maximis Majoribus sumit exordia, quæ unius regni angustos haud sufferens limites, cæteras tantò gloriosiùs involat oras, quantô plures in radicanda stirpe alieno in solo labores sunt exantlandi. Illos enim, antiquis Domûs hujus facem præbentibûs monumentîs JUDYCCIOS accepimus, qui antequàm primam in regno Poloniarum fixissent plantam, clarissimæq; Domûs á regia Sarmatùm Majestate sumpsissent incrementa; Comites Amplissimi in Arce WOLDORFF Electoratûs Trevirensis (*d*) nunquàm non cum magna Nominis sui apud exteros Principes acceptatione exstitêre: hoc autem ad Nominis vestri amplitudinem commendandam quid cumulatius? quám Vos non emendicatîs aliundè honoribûs, sicut plerisq; aliis contingit Familiis, verùm cum flore domesticæ dignitatis Poloniam ascendisse. In inaudît forte jam tum Famam Illustrissimæ Domûs Vestræ Hungaria, percepit cognata polonis Bohemia, aliæq; bellicosissimæ regiones non sine ingenti percrebescentem ubiq; auscultabant admiratione gloriam: ac in quasnam partes Illustrissimum se se recipiat genus considerantes, pro suo quaq; earum in Vos ardore, si nobiscum inclytæ hæ *Provinciæ* loqui possent, hæc jam opinor vel non multùm dissimilia verba fecisse existimantur: O me satis felicem tempora fecissent, exclamavit u-

D na

(*d*) *Niesiecki Tom: 2: pag: 447 Item Monumenta Domûs JUDYCCIORUM antiqu*

na, si illis, quos Heroica per omnia commendant facta JUDYCCIOS eloquor, potiri liceret! O me plus æquò, fortunatam sors extulisset, agebat altera, si tam nobilia membra meo corpori inseri hæc præsertim vacua Herobûs permisisset ætas! O ego cælum digitô contingerem, ingemuit illa, si meos inter Cives optimam illam boni publici partem numerari conspicerem! resq; armîs dicidenda foret, nî JUDYCCII Poloniam præ cæteris adamassent, ejusq; expostulantibus votis præ aliis annuissent O te sat fortunatam Poloniam! hac inclyta Familia tuis desideriis favente jacturam tot bellîs optimorum Civium jam jam compensasse, Nomenq; Tuum plurimis gentibus commendasse conspicies. Perge igitur, perge secundo passu ipsis in cunis, si tamen cunæ dici possint, quibus Viri clauduntur bellatores adulta honoribûs JUDYCCIORUM propago! eiq; regno pedem infer, ubi Te veluti suîs sedibûs moti Palatinatus, Districtus, in omnem attenti partem circumspectant! ut quô Te cunq; verteris in suum gremium recipiant, perge, Teq; in limites, in sinum devotissimi Tibi Regni quám primùm recipe? ubi ipse Rex, regniq; Proceres Te adventantem considerant, ut Te non ignotam multis regnis Familiam honoribûs cumulent! perge, ac vastam ubiq; coloniam, concives florentissimos, nobilium Virorum coronam, oculis circumspice, ubi Tuis posteris immensus dignitatum aperitur campus! Illic, illic Senatorum Curules, Mareschalcales Scipiones, illic Judicum subsellia, Magistratuum orchestræ, illic militum legiones summô Tui Nominis præficiendi unumquodq; eorum flagrat desideriô. Nec vanus opinor, futurorum augur tanta lætitia illis antiquis Civibus inesse debuit, nostra præsertim declaravit ætas, quæ JUDYCCIOS Regi fideles, *Patriæ* proficuos, populo acceptos probavit; probatis Magistratus, dignitates, honores detulit; delatos cum eximia Nominis eorum commendatione gestos vidit, ac gavisa est. Quemadmodùm tamen inter præclara cælestium orbium sidera non desunt pleraq;, quæ multò copiosiore ante alia refulgent lumine, sic & inter Tuos *ILLUSTRISSIME DOMINE* Majores haud nobis pauci occurrunt Viri, quorum ut

vir-

tus longè majore inter reliquos eluxit splendore, ita eos & præsentes dignitates ornârunt amplissimæ, et suîs honoribûs defunctorum gloria ad posteros manat, manabitq; perennior. Præclaros itaq; rebûs bellicîs Viros in Tua gente desideras? habes BASILIUM JUDYCKI: verè Litvaniæ Herculem, Tartarorum domitorem: cujus ars bellica, fortisq; animus non minùs fuit hosti ad timorem, quàm Civibus ad amorem. Dignus planè Vir fortissimus, qui profligatîs proprio Marte ingentibûs Tartarorum copiis á SIGISMUNDO AUGUSTO Rege adstante Procerum coronâ gratias tanti laboris relatas perciperet, ac *Swierzno*, *Zurowicze*, *Bołotno* in Districtu Rzeczycensi in præmium meritorum vulnerum cicatricibûs in hæreditatem commutaret. In arte militari peritissimos spectare vis? specta ALEXANDRUM Vicarium Judicis Rzeczycensis magnanimi Patris non degenerem Filium: cujus vindicem manum non minùs *ad Połociam* in Alba Russia, & *Plescoviam* in Livonia sensit Moschovia, quàm defendentem experta est Litvania. Hic eximii in Patriam meriti Vir quantâ fuerit á DEO benedictione cumulatus vel indè intelligas, quòd tredecim Filios Patriæ in obsequium, Domui in subsidium de *Kaczynscia* sua consorte susceperit: HIERONYMUM Præfectum regendorum limitum Palatinatûs *Brestensis* in Litvania, DEODATUM Notarium terrestrem Rzeczycensem, LEONEM Vice-*Præfectum* Castri Rigensis, NICOLAUM Vexilliferum Rzeczycensem, CONSTANTINUM Dapiferum Rzeczyscensem, PHILONEM Judicem integerrimum terrestrem Rzeczycensem, JOANNEM priûs Pincernam, dein Notarium terrestrem Rzeczycensem, GEORGIUM Mareschallum Rzeczycensem, BASILIUM Equitem Melitensem, Commendatorem *Posnaniensem*, RAPHAELEM, qui sæculo nuntium remittens militiæ Christi in Religione nostra S: P: FRANCISCI Minorum Observantium stipendia meruit, GABRIELEM, quem in tenera ætate morte præventum tantò plus dolendum, quantò majorem spem de se optimè merendi apud animos omnium suscitaverat, CHRISTOPHORUM Vicarium Judicis Rzeczycensis, ADAMUM Centurionem

 pedi-

peditum authoramenti externi cordatissimum contra Gothos militem; quos deindè omnes in juvenili adhuc ætate Martem spirantes Regi STEPHANO præstò faciens, in perpetuum Reipublicæ vovit obsequium, atq; jurejurando devinxit. Suscepit tantum pignus amoris in Patriam quàm gratô animô augustus Princeps difficile dictu est! dilatabantur spacia cordis præ lætitia, mens perfundebatur gaudiô optimi Principis conspicientis coronam tenellorum Fratrum, disciplinâ morum, ac pulchritudine corporis optimè cultorum, vota sua & desideria Martis arte aliquandò coronantium; atq; pro sua erga eos teneritudine animi, tum Patris satis emeriti labore, regiâ suâ munificentiâ tam vastum perpetuò donaverat fundum, ut in eo Oppida *Judycze & Krzywska* ab eodem ALEXANDRO condita, sat commodê ad non desituram JUDYCCIORUM memoriam erigerentur. Equites generosissimos exterranearum Provinciarum dignitatibûs conspicuos audire aves? præterquàm quòd BASILIUM Equitem Melitensem Filium ALEXANDRI Commendatorem *Posnaniensem* egregia tantò laudabiliùs deprædicant facta, quantò pro salute Patriæ, & Fidei Christianæ defensione fuerint exantlata; NICOLAO JUDYCKI Equite pariter Melitensi *Commendatore Stowolowicensi* (*e*) quid gloriosius? de quo, ut verba faciamus; non est quòd ab uno desideretur Oratore, quin innumeros, eosq; hac in arte peritissimos lacessere, atq; â laudibus hujusmodi perfectè tangendis longê abesse, quantùm nobis putari liceat, necessum erit. Labores enim Viri per omnia commendatissimi nulla difficultate superabiles si spectentur, innumerabiles sunt, si facta? planê prodigiosa; nec est (ne me mea fallat opinio) quod ejus meritis

(*e*) *NICOLAUS JUDYCKI Comes in Mysz, Eques Melitensis, Commendator Stowolowicensis, Generalis (ut vocant) Armamentarii M. D. L. Præfectus Legionis S. R. M. Castellanus Nowogrodensis, Regimentarius Exercituum in locum Ducis designatus, floruit circa Annum* 1659. *Recuperavit â Moschis* Dziesmam & Siebież, *fundavit Collegium PP. S. I. in suo Comitatu Myszensi, quod postea Novogrodecum translatum est.*

ritis ex æquo respònderi queat, an honores? illis est superior, quibûs extra Patriam innumeris cumulatus, tantò honoratior, quantò Polonam nobilitatem omnibûs anteposuerit, an divitiæ? has heroicus animus immortali bellatorum gloriæ intentus superbê contempsit, atq; calcavit, an Regnum aliquod? hoc Vir piissimus pulchriûs judicavit mereri, quàm cum cæde plurimorum obtinere, an Patria ipsa? è re quidèm est, ut eâ ipsâ præmiaretur, cui impendere vires non dubitavit; forti tamen ubiq; Patria est, quam Eques Magnificentissimus alienis in regnis cum ingenti suorum commendatione quæsivit, non animo propriam deserendi; hæc enim nota à gente fidelissima longê abest, verùm gloriam ejus, contribuliumq; fortitudinem extra fines finitimarum Provinciarum, imò extra Europam dilatandi. Plus ita q; meruit quâm nobis singula præmia honorum percurrentibus effari liceat? unum (quod summa laudum ejus est) edisserere fas est, non modò omnibûs hîs rebûs dignus effectus est, verùm quæcunq; ei eximiæ è regni officiis dignitates, atq; ministeria collata sunt, non tam iîs ornatus, quàm ad illa plurimùm detulit ornamenti. Hic omnibûs numerîs absolutus Vir, cogitabat in animo quantûm conducat ad Reipublicæ utilitatem, si ad Nominis sui magnitudinem extranearum nationum adjungat peregrinationem, minimè verò si eamdem inter domesticos cohiberet lares; non sine magna Principum admiratione, summorum Pontificum adoravit solia, Cæsarum, Regumq; conciliavit sibi Majestates, cæterasq; potentissimas Europæ percursans aulas, ubiq; moribûs conspicuus, ingeniô mirabilis, omnium disciplinarum genere refertissimus, gloriam Polonorum extra Europam transmarinis, & ultrà invexit regionibus. Vidit in illo Sarmaticæ nobilitatis, & JUDYCCIANI Sangvinis excelsam indolem Vienna Austriæ, admirata est illustre armorum studium Roma, animum quoq; non minùs ad bella fortissimum, quàm ad pietatis exercitium ferventissimum experta est MELITA. Plura dicam? illi hostes Orthodoxæ Fidei persequenti Adriaticum, Jonium, & Siculum reveritum quasi cessit mare, & Mars ipse è Tunetanis mœnibus porrexisse manum videtur, quorum munitissimum

portum exigua Melitensium classe armatus mugientium inter tormentorum ignitos globos ingressus, & plurimas naves apparatu bellico instructas igni succendit, & septemdecim ejusdem fænoris Myoparones frementibûs in cassum barbaris secum *Melitam* asportavit. Illi palmam deferunt *Algerii & Bisertina* regna, quorum armatas pyraticas triremes Christianorum prædîs, cladibûsq; famosas incredibili fortitudine multoties expugnatas, captivas in triumphum duxit. Ille Urbes oppressas in cæde & sangvine natantes vindicavit, & spem Thraci, metum Candiæ, Italiæ, regnisq; adjacentibus trepidationem exemit. Neq; hic est exitus laborum infatigabilis NICOLAI, redux enim ex diuturna alienorum regnorum per mare, per terras expeditione, *incidit* (ut verbis utar Pòëtæ) *in Scyllas volens vitare Charybdes*, Patriam nempê Moschorum, Cosacorum, & Gothorum perniciosissimîs insultibûs oppressam, petulantis populi tumultibûs agitatam, Urbium direptiones, Villarum nobilitatis populationes, insontis populi cædem continuam invenit. Quod quám grande ac insolens malum, tam forti quoq; manu reprimi debuerat: ingemebant populi, lamentabantur nobiles, tetrîs hostium armîs perterriti crebra suspiria faciebant Cives: O utinam quantocyus, utinam Herculem Polonum NICOLAUM Equitem Melitensem reducem videremus! utinam fortitudinis ejus gauderemus subsidiô! Quem quám primùm advênisse intellexerunt, dictis assequi difficile, quanto se ad Eum omnes contulerint apparatu: videres alterum gratulationem diu expectatæ præsentiæ exposuisse, singultibûs interpuncta, statûs miseri verba fecisse alterum, illum direptionem suorum bonorum, hostium prædâ perpessam indoluisse, hunc, ut pestiferæ absq; mora succurrat cladi exorâsse. Quid ad hæc Vir præstantissimus: missaînê ac irritas contribulium fecit querelas, causamq; tam justam de Patria ulciscendi simulatô animô prætermisit? absit hæc á Viro eximio nota! hîs auditîs expavit atq; contremuit, hæc fortè secum ajens: ergonê luem illam adventantium hostium per multos Districtus, & Palatinatus serpentem diffundi ultrâ permittam! ergonê libertatem pulcherrimam omnibus regnis invidendam vinciri,

ciri, perimi, atq; ad ultimum inimica manu jam jam deleri siccîs oculîs perferam! hanc dexteram, quam impavidus externarum Provinciarum sacravi tutelæ, amantissimæ subtraham Patriæ! ecquis vel scintillam JUDYCCIANI sangvinis habens hæc indomita bellorum spaciari sinet monstra? quis lacrymas orphanorum, quis subsannationem, quis injuriam omni malo pejorem, justis non ulciscetur armîs? Hôc zelô succensus Eques fortissimus integram legionem externi militis de bonis propriis stipendîatam, sub signa actoratam Patriæ ad pericula propulsanda unà secum devovit; ac ubi postulante populo, suffragante JOANNE CASIMIRO Rege, munus Castellani Novogrodensis, *Præfecti* (ut vocant) Generalis Armamentarii M: D: L: Regimentarii quoq; Exercitûs *M: D: L:* suscepit, illico manum victoriîs jam dudùm terrâ, mariq; assvetam hosti admovit, bellum extinxit, Cives composuit, jurgia compescuit, tranquillitatem pacis restituit, Svecis formidolosus, Moschis, & Cosacis intolerabilis effectus. Multùm ei debet Samogitia, quòd eam á Svecorum oppressione liberaret, plus Alba Russia, quôd illi ad Albam Dunam *Dziesnam & Siebież* è Moschorum possessione erepta regno restitueret. Hæc de NICOLAO: at quid dicam de THOMA JUDYCKI Equite pariter Melitensi NICOLAI Fratre germano rebûs gestîs, & virtute eidem perquàm simillimo; hic ardua premens vestigia Fratris, gentis suæ gloriam auxit, famam dilatavit, sæculisq; memorabilem Equitum Melitensium triadem in *Domo* JUDYCCIANA complevit Magnîs in Patriam meritîs celebratos memorare cupis? qui tam bene de ea meriti sunt, atq: LEO, ANDREAS, & ALEXANDER, quorum etsi totius vitæ ratio, obsequium Reipublicæ, mors tamen tantô gloriosior, quantò ab hostibus Patriæ, ANDREÆ sub *Zwoniec* á Tartaris, reliquis alibi prælium agentibus fuerit illata. Te verò GREGORI JUDYCKI (*f*) generosi Patris GEORGII lectissime Fili, Aulice cubilcuarie Regis, dein Rott Magister

Ez

(*f*) *GREGORIUS JUDYCKI per duodecim Annos Aulicus cubicularius Regius, deinde Rott Magister S: R: M: Mareschallus Rzeczycensis ad Pultuscum bellô occubuit Anno* 1656:

ſter S: R: M: Mareschalle Rzeczycensis omnibûs ſæculîs prædicande quid memorem; næ Te amor Patriæ victimam fecit, ut ejus gratiâ vitam profundere, quòd quàm arduum, tam laudabile facinus eſt, Tibi ludus erat: præterquàm enim quôd sanîs conſultationibûs, atq; dignîs tantô Virô adhortationibûs coævos Tuos ad id virtutis genus á tenera ætate pertrahere studeres, illud ſtrenuè cum Gothorum exercitu decertando Puſtuscensibus in campis propriô fatô ad oculum oſtendiſti Sacris honoribus florentiſſimos habere intendis; VALERIANUM accipe Suffraganeum Nominatum, Archi - Diaconum Vilnenſem, Præpositum Trocensem, & Bialensem, Referendarium, & Notarium M: D: L (*g*) pietate in superos celeberrimum. Sangvinis communionem cum amplissimis ſtirpibus nactos in medium proferre satagis; CONSTANTIUM JUDYCKI Dapiferum Rzeczycensem habes, qui acceptâ sibi in ſociam vitæ CÆCILIA JASINSKA Filia NICOLAI JASINSKI Notarii M: D: L: Præfecti regendis limitibus Vilnensis Palatinatûs ex Matre MARIANNA Filia SAPIEHÆ Palatini Novogrodensis nata, magnam cum SAPIEHARUM Nomine, nec non cùm GIEDROYCIORUM, MASSALSCIORUM, BIELINSCIORUM, eò quòd ipsis nuptæ sunt Sorores suæ Consortis, iniit ſocietatem. Denìq; quid memorem alium ALEXANDRUM, SAMUELEM, & HIERONYMUM bellô & pace acceptiſſimos; quid VLADISLAUM, & alium ADAMUM in Caſtris continuò Patriæ obſequentes; quid alium JOANNEM Pincernam Smolenscenſem consiliô graviſſimum; quid alterum etiam ALEXANDRUM (*h*) Aulicum Regium, Tribunum Rzeczycensem, Præfectum Caſtri Jasvonensis, Rott Magiſtrum & Præfectum legionis S: R: M: cujus dexteritas multûm profuit ad ejicienda Gothorum Caſtra ê Ducatu Samogitiæ; quid alium GEORGIUM (*i*) Præfectum pariter Caſtri Jasvonensis; NICOLAUM itidem, & JOANNEM; quid VALERIANUM Dapiferum Rzeczycensem,

(*g*) *Floruit circa Annum* 1671.

(*h*) *Hic multum detulit subsidii ad ejiciendos ê Samogitia Svecos Anno* 1655:

(*i*) *Floruit circa Annum* 1674:

censem, & ANDREAM Fratrem ejus; quid alios sexcentos & ultrá ad calamum voco; uti PHILONEM Tribunum Brácłaviensem, & PETRUM utrosq; Mareschallos Rzeczycenses, GEORGIUM Filium CHRISTOPHORI aliosq; quâm plurimos. STANISLAUM tandem Vexilliferum Præfectum regendis limitibus, dein Mareschalum *Rzeczycensem* (*l*) quibus efferam laudibus; cujus ingenuæ dexteritati, & erga Reginam Cæli pietati Fortalitii Lachoviensis tutela justîs titulis adscribitur. Aderat enim tum effigies gratiosissimæ Dominæ eadem, quæ nunc Białynicis in Alba Russia visitur, cujus quaq; die pronus in terra adeò exoravit clementiam, ut pauco cum exercitu Polono Fortalitii curam gerens piissimus Mareschallus armîs an precibûs hostes prostratos viderit, multosq; spe expugnandi frustratos inglorics repulerit, in dubio relinquitur. Arcis verò Vilnensis quám acer exstitit *Propugnator*, vulnus sagittâ Svecorum in facie perceptum satis ad concitandos nobilium animos perorat. Quid enumerem alios; quorum eximia in Patriam merita, in Superos religionem, in Cives amorem, in plebejos benevolentiam nulla non ætas vidit, coluitq; Atq; adeò si virtutes, & opera immortalia recenserem; Numinum prodigia recenserem, vel quòd sint thaumaturga, vel quòd rarissimæ perfectionis excesserint gradum, gloriam, dignitatem: si Senatores numerem, quis prudentior? Si *Bellatores*, quis gloriosior? si Cives Patriæ, quis fidelior? JUDYCCII, quo non celebrati sub sole, quibus non adorati â Gentibus, quibus non inclaruerunt terris, quas non occupârunt Provincias, quas non induerunt purpuras, tot operum immortalium exantlatores, *Turcicis, Scythicis, Zaporoviis, Rossiis, Asiaticis, &* *Africanis* triumphis celebres; quorum cûm singuli singulos Oratores postulent, coarctato verborum ambitu laudare satis non possumus. Uberiûs fortasse nitidiùsq; exponenda essent eorum præsertim, â quibus directo or-

F dine

(*l*) *Floruit Annô* 1661: *Arcem Lachoviensem â Moschorum, Vilnensem â Gothorum obsidione liberavit. Niesiecki Tom:* 2: *pag* 447: *Et acta Imaginis Białynicensis sub Annum* 1660:

dine redundant ad Te *ILLUSTRISSIME DOMINE*, ac jure hæreditario proximè pertinent, Patrum, Majorumq; Tuorum ornamenta, videlicet ALEXANDRI JUDYCKI (*m*) Castellani Minscensis, JOANNIS (*n*) Notarii terrestris Rzeczycensis, Patris demùm optimi, Tibiq; longè carissimi ANTONII Vexilliferi, deinde Mareschalli Rzeczycensis: at cum nil veriùs ac ipsi Filii Parentum speciem & corpore, & animo etiam referre soleant, quid est, quòd ipsis è monumentis simulacra mortuorum ad ornandum eruimus, si in Te *ILLUSTRISSIME DOMINE* vivam ac spirantem paternæ Probitatis, avitæq;, gloriæ imaginem contuemur; si quis tamen est, qui eum, quâm præclarus fuerit, à nobis describi postulat, is regiam quamdam, peramplam, æquè ac splendidam omnium virtutum tanquàm domicilium proprium præ oculis ponat, ex eaq; Viri præstantissimi cùm ornamenta naturæ, tum commoda ex iis in bonum publicum redundantia colligat, atq; componat: unam præ cæteris non postremam laudis ejus esse materiam, quòd Legati munere pro Comitiis Convocationis (*o*) decoratus fuerit. Quòd quàm difficile, atq; honorificum ei negotium datum sit, ut totius Districtûs vota ac desideria solus contineat, tam magna, atq; ad id muneris idonea virtute præditum fuisse nemo non concludet ANTONIUM. Hocq; jam ad maximam Nominis Tui commendationem satis opinor esset *ILLUSTRISSIME DOMINE*, nisi quem hic præterire nefas esse ducimus, memoriæ nostræ identidem occurreret Vir inclytus MICHAEL Castellanus Minscensis Tuus *ILLUSTRISSIME DOMINE*, Frater, cujus Majestuosam gravitatem, plenumq; magnîs consiliîs Caput in tuita est corona Senatûs Polonici; Comitia quoq; generalîa (*p*) admirabilem eloquentiam, legumq; peritiam conspi-

(*m*) *Floruit Anno* 1677.

(*n*) *Floruit Anno* 1674.

(*o*) *Legatus fuit è Districtu Rzeczycensi pro Comitiis Convocationis Annô* 1696.

(*p*) *Legati munere bis functus est pro Comitiis: Annô* 1722. *& Annô* 1724. *Mareschalli etiam magni Judiciorum M: D: L: munus magna cum laude obivit.*

conspicientia non semel forte admirata sunt, quis ut MICHAEL tanto rationum pondere, tantâ constantiâ animi, tanta oris svavitate, totiusq; corporis compositione insigni pro ea laboravit? De Judiciis verô Tribunalis M: D: L: quorum supremus exstitit ê numero Judicum Deputatorum Mareschallus, quid dicam? illo judicia regente, justitia summô locô habita, crimina vindicata, Villæ nobilium aliàs viduatæ possessoribus suis restitutæ, litigia populi composita, ac quod suum est jure probatum, cuiq; decretum, firmatumq; est: verê ob hæc præclara justitiæ munimina Pater orphanorum, ac relictorum, nobilitatis quoq; oppressæ vindex, ac Patronus dici meruit. Tanti viri quò amplior virtus, rarioresq; memorantur dotes, eò magis dolenda est jactura, nec unius, aut alterius Palatinatûs lachrymis extingvendum esset fatorum incendium, nisi quod sufficientissimum acerbo dolori remedium est, accederent duo Filii ut gloriæ Paternæ successores, ita Nominis & virtutum hæredes Patri non indigna progenies, ANTONIUS, quem de lectissima sua Conjuge SOPHIA de UNICHOWSCIIS JUDYCKA, & JOSEPHUS, quem de piissima, si autem nudâ veritate dicam, communi Matre omnium Religiosorum Ordinum, pauperumq; Domina munifica secundi voti MARIANNA OGINSKA Filia Palatini Vitebscensis, susceperat, qui in quos viros evasuri, suis progressibus luculenter demonstrasse videntur: & quinq; pariter lectissimæ Filiæ MARIANNA, quam Domui PUZYNARUM avita nobilitas inseri fecit, ANNA, quam pietas in Superos inter sacras DEO Virgines de SS: Sacramento adnumeravit, BARBARA, quam Domui TYZENHAUZORUM natalium splendor invexit, ELEONORA, quam excelsa de rebus divinis studia Filiam FRANCISCI in Ordine nostro fecit, & THEOPHILA multis naturæ donîs conspicua; omnes non minûs natalium splendore, quàm utriusq; Parentis virtutibûs ornatissimæ. Nec tandem silentiô supprimere auderrus MICHAELEM JUDYCKI Judicem terrestrem Rzeczycensem, qui præterquàm quòd in suo Districtu optimîs meritîs floreat, in quinq; Filiis THADDÆO, JOSEPHO, JOACHIMO, MARTINO, & MAT-

THÆO toti Litvaniæ ſpectatiſſimus eſt; ex quibus THADDÆO (*q*) cum magno partium litigántium emolumento ſuprema M: D: L: Judicia gloriabantur. Et hæc eſt *ILLUSTRISSIME DOMINE* gentis tuæ amplitudo, quam si non ita, ut in se eſt, tetigimus, & ingenitæ Majorum Tuorum magnitudini, & noſtræ imputa brevitati. Quemadmodùm enim integra nunquàm poſſunt videri aſtra, etiamsi vitreos multiplicet curiositas oculos, & propè Argum agat exerta contêmplatio; ita de Majoribus Tuis par habeatur ratio, neceſſe eſt. Illuſtriſſimi siquidem sunt, æquê ac numerosiſſimi. His, quám copiosus clariſſimarum Familiarum cætus ultrò sese per affinitatem adjungit, quis numerando percensere valeat notiſſima orbi Nomina? SAPIEHARUM, CHODKIEWICCIORUM, MASSALSCIORUM, GIEDROYCIORUM, BIELINSCIORUM, JASINSCIORUM, TYSZKIEWICIORUM, OGINSCIORUM, WOŁODKOWICCIORUM, PODBERESCIORUM, KOPCIORUM, CHREPTOWICCIORUM, RUDOMINARUM, FIRLEJORUM, FRĄCKIEWICCIORUM, UNICHOWSCIORUM, PUZYNARUM, TYZENHAUZORUM, PLATERORUM, GALIMSCIORUM, SCYPIONUM, SULISTROWSCIORUM, BRUDAWSCIORUM, KACZYNSCIORUM, RAHOZARUM, DERNAŁOWICCIORUM, aliaq; innumera non minùs generis claritate, quâm antiquitate abſq; commendatitiis Oratorum formulis celeberrima.

Ab his Tu *ILLUSTRISSIME DOMINE* Majoribus non in uno regno florentiſſimis descendis: hos Sangvinis ac virtutis habes Fratres, per omnia Tibi simillimós: cum his Familiis affinitatis & gloriæ communionem nactus. Quod quam in Te permagnum, & honorificum eſt, quòd ab ampliſſimis, & antiquîſſimis in Litvania Majoribus oriaris, tam in iis in quorum vita Prædeceſſorum factis simile atq; præclarum relucet nihil; ſummê dedecorum atq; inglorium eſt. Avitâ quippe gloriâ quid juvat extolli, eamq; plus æquò ſuam appellare, si illa difficillimis & sudoriferis Aboriginum laboribûs parta, ſocor-

di

(*q*) *E Diſtrictu Rzeczycensi Judex Deputatus ad Tribunal M: D: L: electus eſt Anno* 1758.

di ædibus in privatis degenerum ſucceſſorum otiô incipiat labefieri, atq; vilescere; quid confert alti sangvinis magna ex parte fætum in se derivari, si ille rebus Patrum præclarê geſtis, quæ præcipuum nobilitatis genus sunt, non modô non reſpondet, verùm etiam exoſîs poſteritatis moribûs dehoneſtetur; imò præſtat, quantùm mea fert opinio clariſſimum sangvine, & eximiis in Patriam meritîs á Majoribus comparatum supprimi nomen: neq; eo Heroë, aut illô satum Principe gloriari, quám eidem longè diversa vitæ ratione infamiam aspergere. Hæc quám longiſſimê â Te *ILLUSTRISSIME DOMINE* absunt, cumprimis in Patriam amor, non absimiles poſtmodùm aliæ Majoribus virtutes nemini non planum faciunt. Si etenim illos quiescentes sub marmore cineres; illa immortalium Heròûm sciscitaremur simulacra, quid olim piiſſimi eorum manes de Patria sentirent; quid egerint; quosq; labores illi contulerint; nonne id ipsum in Te, ad quem omnis Majorum & dignitas, & ſplendor, & prædicatio absq; diminutione laudis confluxit, reperiri deprehensum eſt; Illorum, inter innumeras virtutes principem eſſe benevolentiam hac eâdem Orationîs parte exploratum eſt, quâ adeò erga Patriam propensi exſtiterint, ut quod ei titulô beneficentiæ in quodam pondere & mensura aut saltem mediocri intensione laboratum eſſet, pietatis oſtensione, laboratum eſt in gradu summo: ita, ut modum discretionis supergreſſi finem extortis à se operibus haud faciebant, nisi simul cum termino vitæ. Et benè eſt, *cùm enim omnia* (verbis utor Tullii:) *ratione animoq; luſtraveris, omnium societatum nulla eſt gratior, nulla charior, quàm ea, quæ cum Republica eſt unicuiq; noſtrûm. Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates Patria una complexa eſt; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus;* (*) & vel maximè simul atq; in mentem sibi venerit hac eâdem Patrum, Avorum domicilia vetuſtiſſima, Præceptores morum addictiſſimos, Magiſtros eruditionis piiſſimos, ipsosq; parentes contineri. Hoc porrò *ILLUSTRISSIME DOMINE*

(*) *lib: 1: Officiorum*

MINE in Patriam officium quám ardenter exequutus es, totius vitæ Tuæ ratio omne dubium sustulit. Et cùm imprimis ad teneram ætatem Tuam animum advertimus; vos Illustrissimorum Progenitorum palatia, atq; conclavia, in quibus ingenuus, lectissimus adolescens primæ educationis, disciplinæq; domesticæ sumpsit exordia, Te numerosissima familiæ corona, vosq; aulæ totius ministri in testes voco! nam ut nemo est nobilium virorum, qui Fundatoris nostri amplissimi eximia in Patriam merita non cognoscat, ita fieri non potest, ut qui alius de iis, quám præclara sunt, meliùs atq; vos ipsi, quibus cum præsentissimè versatus fuerit judicium ferre possit. Agite itaq; dicite: ex quo primùm tempore in oculis vestris Illustrissimus Castellanus incunabula egressus, atq; rationem ingenii experiri cæpit, quanta jam tum futuri in *Patriam* initia dederit obsequii? quám ingenua teneræ ætatis commendatione exstiterit? ut omnium ora atq; oculos in se converti videret, adolescentium omnis perfectionis idæa atq; exemplàr prædicatus. En quàm diligenter ille amantissimi sui Genitoris gestà observet? quam continuò conjectu oculorum mores Paternos perspectos atq; admiratos in se transferre studeat? res summas cùm Reipublicæ, tum domesticæ Æconomiæ pertractatas atq; expeditas, seduló animadvertat? quem nobilitati amorem, hospitibus affectum, subditis benevolentiam ostensum est, considerat, ac ad suum referens animum altê menti suæ imprimat. At si in aliquem è nobilitate virum offenderit tum vehementer ab eo sciscitatur: quid in Comitiis? quid in consiliis? quid in judiciis? quid in Magistratibus? quid in militari arte negotii esse, ut sibi adaperiat? Hanc in ipso juventutis aditu, quando cæteri vulgò adolescentes ambitione, gloriâ, aut certè deguitandis svaviter inexpertæ dignitatis illecebris unicè occupantur: viam ingressus Illustrissimus Castellanus; difficilè dictu est, quám longè á frivolis atq; profanis rebus mentem abduxerit? quám optimîs disciplinæ moribùs sese armaverit? oculos quâm pulchrâ faciei modestiâ composuerit? nemo est, qui eum garrulum, aut alterius negotio sese immiscentem, nemo turbatum, nemo irâ commotum viderit

unquâm

unquàm, ut in tenera ætàte maturitas ingenii, operum gravitas, animi modeſtia ad summos honorum apices prælusiſſe viderentur. Hæc domi: at ubi altiori imbueret animum cultura ac literarum addiscendi provinciam in se suscepit, quâm sedulò libros omnis generis revolverit! quàm acutè de rebus difficilimis diſſeruerit! mira rerum perceptarum varietate reliquis quàm præcelleret! ut hac in arte ſtudiorum non solùm coætaneos nobilitate ingenii anteiret, verùm etiam tum, quantus Patriæ eſſet Civis futurus, qualisq; defensor, ac æquitatis amator suis in scriptis, compositionibus, orationibus, publicis ac privatis disceptationibus, plenis rerum Patriarum momentis oſtenderet. In humanioribus verò scholis dum alii otiô torpentes nomen doctrinæ venari solent non rem; Ille mentem suam altiſſimis semper cogitationibus intentam, illamq: sciendi de rebus graviſſimis aviditatem, profundam de maximorum Virorum difficillimis muniis indagationem: quod armorum robur, quæ fortitudo in bellis Duces, quæ in Senatu gravitas Statores, quæ in Areopago juſtitia Judices, quæ Majeſtas Reges & Imperatores, quæ benevolentia in Cives singulos Moderatores concernat: adeò exercuit, ut ad singula vaſtiſſimam animi sui reperiret capacitatem; in singulis legeret illam altiſſimis dignitatibus consentaneam regendi normam, quæ in=dubia expectatione inclytam animi sui indolem præſtolarentur. O Juvenem lectiſſimum, adeone tantus Tuo pectori insedit amor Patriæ, ut teneræ ætatis vincula rumpere videaris, dummodò quantocyùs in obsequium ejus provoles! Videte laxioris disciplinæ adolescentes, quibus aucupium gloriæ, ſpes inter homines, eminendi aut certè vana rerum abditarum curiositas finem studiorum proponit: videte inquam, atq; animum admovete, quomodò Illuſtriſſimi Caſtellani & cura, & omnis conatus, & studiorum labor, Patriæ cedunt in emolumentum; quomodò ei, â qua vitam honorum, ac dignitatum sortitus eſt, cuncta sua conferat, pietatemq;, quam jure gratitudinis á quovis Cive sibi debitam, á multis tamen neglectam, Respublica prærequirat, ex integro reſtituat: Videte ac discite tantò Vos obſequiosiores erga Patriam debere, quan-

tô nobilitatis ingenitæ prærogativâ cæteros inter emineatis. Verùm quamvis hæc tam magna eximii in *Rem*publicam officii in tenera ætate indicia sunt, nisi tamen in virili magnus quidam hujus virtutis splendor, qui omnium oculos præstringat, oportet, aut omnes, aut certê non paucos homines sui testes nanciscatur, parva fortassê cuipiam videbuntur. Transactô itaq; studiorum tyrociniô, ubi Te ad altiora paraveris, dignitateq; Vexilliferi Rzeczycensis, deinde Notarii M: D: L: condecorareris, quantùm ingenii, viriumq; operis illuc conferre videbaris, ut communi Civium utilitati de tuo prodesses honore, dictis assequi difficile est? Et comprimis quòd intricátissimæ nobilium contentiones, quæ ad Te undiq; seu Delphicum tripodem pro resolutione persæpe delatæ, incredibili prudentiâ cum partium commodo pertractatæ, atq; enodatæ amicabiliter compositæ absolvebantur, nonne peramplus Tuæ laudis cámpûs est? gravissima momenta, atq; placita, quæ pro Reipublicæ salûte, pro retinenda in flore libertate, legum indemnitate, Civium securitate, in Comitiis particularibus in medium evocari fecisti, nonne tam rarum, atq; præclarum Tuæ dexteritatis opus est, quám rari sunt hodie pro integritate Patriæ Flaminii, Observatores legum Lycurgi? occultæ perditissimorum Reipublicæ proditorum technæ, doli, societates cum hostibus initæ, amicitiæ celebratæ in publicis consultationibus detectæ, tum quod sequitur cautelæ in futurum præscriptæ, nobiliumq; oraculis firmâtæ, nonne Tuæ industriæ, atq; pietatis eximius labor est? Legati ad Comitia generalia negotiis suorum Districtuum â Te instructi; jura Territoriorum, terrarum, villarumq; nobilium justis defensionibus propugnata, atq; roborata, consultationes publicæ mira ingenii eruditione intra terminos æquitatis retentæ, atq; directæ, nonne Tuæ sapientiæ effectus est? atq, adeò in omni negotiorum genere activitatis Tuæ *ILLUSTRISSIME DOMINE* collata subsidia haberi nemini non planum est; nisi fortè aliquem ita umbraticum in utramvis aurem stertere contigerat, ut de ea nihil inaudîerit, viderit nihil, is tamen si est, nunc animum advertat, atq; videat, quanta est reverentia

rentia

rentia in Ordine Senatorio cùm Illustrissimum Castellanum mira eloquentiâ verba facientem audierit? quæ concordia animorum in Ordine Equestri, quoties ejusdem mentem perceperit? quanta alacritas parendi in nobilibus? quantus ardor audiendi in plebe, quoties ipsis rem aperiret? incredibiles hæ omnium Ordinum propensiones, atq; voluntates, quid aliud sunt, nisi verissima summi in Rempublicam meriti indicia? Nec id mirum cuipiam videatur *ILLUSURISSIME DOMINE* Te omnium amorem, admirationem, & obedientiam traxisse, frecentem quippe præterquàm quòd veritatem in ore consedisse tuo facta probant, hujus rei memoriam habere nobis videntur universi: nihil neq; in Codice Legum civilium tam reconditum, atq; ad tuenda nobilium jura, dirimendasq; lites tam firmum, neq; in diplomatibus Regum tam grave, præcellensq;, neq; in pactis conventisRegnorum tam cautum, firmatumq;, neq; in bellorum, ac pâcis Tractatibus tam abditum secretumq; demûm in teste temporum historia tam illustre atq; rarum fuisse nihil: quô Tu non instructissimum pectus, non divitem memoriam retuleras. Ad hæc, ubi Te pulcherrima vultûs modestiâ, majestate corporis admirabili; in omnium demittis reverentiam, non animô simulatæ sinceritatis, quòd plerumq; malorum habitus est, verùm pietatis stimulô erga nobiles Reipublicæ partes, animos venaris, & corda rapis singulorum: Svavitate quoq; oris dum spiras gratias, & aures omnium blandô imples alloquiò, veluti quibusdam catenîs constringis mentes tuis nutibus obsequentes His svavissimis oris Tui gemmis Regum attonas Majestates, Senatûs curiam imples, Cives Patriæ in admirationem rapis, & distractas in diversa mentes ad tuum nutum componis Accedit, quòd illa Tua *ILLUSTRISSIME DOMINE* nemini magis quàm Viris præstantissimis ex toto Patriæ deditis, atq; fidelibus propria virtus, eorumq; singulare ornamentum: quòd scilicet neminem aditu prohibeas, omnibus Te facilem, urbanum, comem præstes, singulis exhibeas officiosum. Te nobilitas oppressa in suis causis Patronum, Te contribules difficillimarum rerum Consultorem, Te quoq; Religiosi Dominum ac Benefactorem experiuntur; verbo: habet

in Te quod amet Patria, suspiciant Reges, collaudet Senatus, venerentur Cives, mirentur universi. Omnes deniq; quotquot animum ad Tua in Patriam merita advertunt, in ea esse sententia: ut hac Tibi in Rempublicam suffragante virtute, non quæsitum, non postulatum, sed ad omnes honores natum, educatumq; fore fateantur.

At quoniam benè mereri de Patria suîs obsequiîs haud potest quisquam, nisi rectê de eadem sentiat, quod boni Civis officium est, prætereaq; genuinum clarissimorum Virorum opus, de eo itaq; in præsentiarum nobis sermo est. Sunt profectò, qui magnam vitæ suæ partem, aut coacti ministeriô Reipublicæ impendunt, aut si benevolè eos tam operosam obire provinciam contingat, ad speciem duntáxat, & usurpationem virtutis fictos esse oporteat, ut sic Majestatibus regùm longè â justitia abductis, Civibus errore circumventis, honores, & Magistratuùm subsellia aucupentur, atq; in iis indignè positi faciliùs desideratam sibi diù artem fallendi exerceant: *Patriam*, in qua delenda occupati fuerunt, enormi flagitiô, crùdelitate, perfidiâ, commaculent, lacerent, prodant: quò fit, ut eorum ratio agendi fiat detestabilior, consilii sententiâ perfidior, sinceritas suspiciosior, amicitia periculosior. Appellabis tales hostes Patriæ: pejores sunt, quorum arma tantò damnosiora sunt, quantò domesti, cùm bellum cient, latrones dices: horribiliores sunt, quorum præda tantò perniciosior, quantò minùs prævidetur, fures vocabis: sceleratiores sunt, quorum rapina tantò crudelior, quantò in damnum vergit boni publici. Illud porrò exitiale malum quamvis per omnes Reipublicæ status ingenti Civium serpit clade, specialem tamen in iis locum tenet, quibus summa imperii in Republica delata est, qui, ut, communi suorum saluti, rebus benè gestis provideant, ita, vafrè pertractatis eidem noceant necesse est. At Tuorum *ILLUSTRISSIME DOMINE* honorum Vexilliferi Rzeczycensis, postea Notarii M: D: L: ad extremum Castellani Minscensis dignitas, ut pro præmio virtutum, quas satis jam spectavimus, collata est, ita fieri non potest, ut in eadem constitutus, aliquid contra Rempublicam moliri auderes: â teneris quipè

pè annis ea menti Tuæ insedit sollicitudo, ut Patriam, á qua lactatus, ac honoribus usq; huc enutritus es, in flore videas, eamq; quantùm Tibi per omnes modos liceat, juvares. Atq; ideò, etsi totius vitæ Tuæ ratio rectus de Patria sensus dici potest, officia tua nemini non planum faciunt, præcipuè tamen Senatoria dignitas, ad quam conferendam non cæca assentatio, aut non satis perpensa meritorum præstantia, verùm justitia ipsa, perquàmq; idonea huic tam alto muneri capacitas Serenissimum AUGUSTUM III. induxit Regem, id virtutis sibi vendicat nomen; Senatoriam enim conscendendo Curulem vel maximè nosceris quomodo rebus *Patriæ* prosperis prospicis, adversis consulis, Senator regni fidelissimus. Audire itaq; Illustrissimi Domini Castellani de Republica sensum boni Cives cupitis? is est, qui nec blandîs munerum donîs debilitari, nec atrocibus minis regum cedi, nec periculîs affinium suorum frangi, nec obvolutis veritatis specie fallaciîs irretiri, quin sese pro Reipublicæ integritate, pro libertatis tutela, pro salute contribulium, pro indemnitate legum, ea prudentiâ, quæ unum è JUDYCCIIS decet Senatorem, illo candore pectoris, quô fidelissimi pollent Cives, illo acumine ingenii, ac rationum subtilitate, quæ superari a nemine valent, obsistat, ita, ut ubi alios metus bellorum percellat, amorq; privatus suorum â proposito defendendi Patriam deterreat, Illustrissimus Castellanus solus paratus prælia agere, vitamq; manifestis armorum periculis prodere, quám á recto in Rempublicam sensu vel latum ungvem recedere. O conservent Te *ILLUSTRISSIME DOMINE* toti regno boni Superi quâm diutissime! Sed quid ego de perspicuis, & per omnium ora pervagatissimis rebus impensiùs incumbo, vereor Senatorum beneficentissime, ne fastidiô sit oratio, si de ea Tua beneficentia, vi cujus meritis Patriam cumulâsti, diutiùs peroratum foret. Venio nunc eò, quò me non assentatio ducit, sed fidelitas: quantùm nempe nobis beneficus exiftas. Quod altera Orationis parte tantò breviùs demonstrandum erit, quantò formidamus magis, ne tuà patientiâ abutamur.

Inter omnia vitæ nostræ mortalis officia, si est ali-

 quod

quod, quod præcipuè rationale, atq; cæteris præstantius humanum genus cohonestare possit, tum profectò illud, cùm supremo naturarum Auctori rebus in agendis continuò conformamur, altissimæq; bonitatis ejus speciem quamdam ac imaginem recta vivendi ratione, ac moribûs vitæ teneamus. Hoc unicum quantùm nobis opinari liceat reliquis omnibus adeò supergreditur, ut si quem illò ornari non conspicimus, quibûscunq; aliis animum prædivitem gerat, non tantùm â perfectionis idea alienum esse, verùm etiam inter homines, quorum primum ac ultimum agendi exemplar est mens æterna, næ numerari non posse quasi exploratum habemus. Cùm etenim universi Opifex cuncta aspectabilia propter hominem atq; adeò præ exiguô temporis spatiô finita; hominem verô perquàm mirabile sui simulacrum propter se, atq; adeô æternitate donatum elaboraverit, quid aliud voluisse evincitur, quâm quôd omnia & singula ejusdem opera sibi tanquâm primæ directrici conformentur regulæ. At quæ tandem præcipuê DEI T: O: M: in hoc rerum sensibus perviarum theatro spectabilior est virtus, cui nos studiosiûs incumbamus? quanquâm mirabilis mundi structura sapientiam, quâ nihil profundiûs, pulchritudinem, quâ nihil superiùs, providentiam, quâ nihil rectiùs, aliasq; ineffabiles commendant prædicationes, principem tamen inter ea locum vendicare videtur bonitas, quâ adeò erga miserum, atq; despectum genus humanum propensus sit, ut omnia ea, quæ oculus noster perlustrare queat, gratis elargiri de thesauris sapientiæ suæ patiatur: ejus fermè solius imitatione quid beatiûs ad mortalitatis nostræ statum afferri, aut quid ultrâ ad naturæ intellectualis complementum desiderari possit? quâm quòd naturam quodammodo superûm â mortalibus participari, rebusq; Divinis quantùm possibile est, longè dissitum genus conformari. Conjectas hinc jam opinor *ILLUSTRISSIME DOMINE* Fundator Gratiosissimè, quid de Te nostra enuntiatura sit oratio: Te videlicet ex præscripto bonitatis supernæ præterquâm quòd omnibus affabilis, omnibus comis, omnibus utilis exstiteris, Religiosas Familias, nostrumq; cumprimis Ordinem tantâ complecti benevolen-

tiâ,

tiâ, ut ejus Parens amantiſſimus, & protector apud Magnates experiaris paſſim. Hoc quidem verum eſt; at non tam rarum atq; insolens, ut illud quoq; sibi Principes vendicare non videantur, quorum ampliſſimæ ditiones tantò plus arrogantiâ extolluntur, quantô Religiosorum Provinciis imperitare contigerit. Munificentiâ pariter in egenos Te cæteris supereminere, si cui eorum, tum certè nobis Tuæ liberalitatis consciis satis perspectum eſt; at hæc similiter virtus non tam infrequens eſt, ut uni eidemq; nomen dederit, quin multorum insedit animos, ut subsidium indigentibus rebus laudabile atq; perhonorificum eſſe ducunt. Quod tamen utrumq; maximum Senatoriæ ac Chriſtianæ dignitatis Tuæ ornamentum, ne veluti rem, quæ omnium oculis, animisq; obversatur, auribus dare videamur: miſſos hìc facimus crebros de Te sermones, quàm liberalis sis in befaciendo, quàm facilis ad preces, & communes omnium neceſſitates, quâm aditu comis, quàm nullos quantumvis abjectiſſimos limine proprio arceri permittis, certatim pauperum legiones, ad ædes Tuas confluentes cum larga ſtipe quâm lætas, ovantesq; dimittis, relictorum ac miſerorum præsentem eamq; ab oculis hominum semotam, ne cui eximius religionis cultor videaris, quàm sedulò geris, ita, ut Senatoria dignitate, an religione in DEUM major sis, in dubio relinquatur; illud duntaxat in medium evocamus; quòd & Ordinem noſtrum, & illos, qui cum maxima conflictantur inopia prolixa, juvandi voluntate, & liberali ſtipe intantum proſequeris, ut omnia ea, quæ iisdem erogari facis, nihil inde laudis, nihil commodi, nihil quidpiam apud homines acceptationis refundi in Te judiciô rectiſſimô porsvaderis:, hoc demum paucis exceptis, tam magnum & insvetum eſt, quâm rarum eſt hodie beneficium vera in Superos religione exhibitum. At nobis tantò facilius ad demonſtrandum eſt, quantò hæc Tua virtus neminem lateat. Si enim â viro quopiam dignitatibûs, ingeniô, ac opibûs conspicuo aliquod beneficii genus hominibus in mundo abjectiſſimis relictis, atq; â multis despectis, veſte demiſſa, aſpera, vili, contectis, oſtiatim emendicato pane vitam agentibus, quibus nullæ sint poſſes-

I siones

siones, nullæ divitiæ, nullæ res, nullus respectus humanus, præstitum esse ad nos deferretur, eum profectò, ab iis nihil desiderari posse non difficulter affirmaremus; cùm omnia eorum si voluntatem compensandi excipias, faciunt nec teruncii. Quod si verò hoc nobis ita se habere permittitur, hic jam exultet necesse est Oratio nostra, qui non pauca, sed innumera beneficia tali modo ab ILLUSTRISSIMO FUNDATORE & præstita esse semper non ignoramus, & præstari. Ille enim verò nos, quos perpetua votorum sponsione mundanis renuntiatos esse rebus satis perspectum est, eâ complectitur benevolentiâ, quam mirentur omnes, invident non pauci. Ille nos ubiq; honestissimîs nominibûs extollit, atq; pro nobis apud summos in Republica viros patrocinatur, ut non rarò nos tantæ honorificæ laudis suppudeat. Ille sæpè nec cogitantibus nobis, suam clientelam, sua piissima impendia liberaliter confert, qui videlicet nostram Familiam novîs Fundationibus diductam ubiq; locorum in subsidium Ecclesiæ diffundi nunquâm non ex animo precatur. In hujus rei veritatem vos Litvanæ Provinciæ religiosa domicilia, vos inquam imploro atq; obtestor! vosq; Trocenses aræ, erectiq; hisce oculis in nostris parietum muri, quos ille plenus pietate effusis largissimîs muneribûs, substructionum commodatissimîs molibûs ê radice erexerat, in testes voco! vos beneficia *Fundatoris munificentissimi* ad oculum depromite, atq; dicite? nonne tantarum de suis facultatibus impensarum *Illustrissimi Fundatoris* unicum esse finem, nil à nobis nisi summam DEI T: O: M: laudem expectari! Pervenit enim ad aures gratiosissimi Fundatoris Trocense Cœnobium cælestibus exercitiis, esse commodatissimum, ab oculis hominum semotum, stagnantis aquæ vastitate perquâm amænum, montis quoq; accessu habitabile, âëris benignitate salubre, omni demùm contemplanti vitæ situ debito comptissimum; at parco fundationis censu adeò perexiguum, ut tam idoneus Religiosæ exercitationi locus paucis nonnisi inhabitetur Fratribus. Videre fuit quanto ardore protinus manum munificam admovit, domum tenellæ Franciscanæ iuventuti, obsequiiq; Divini tyronibus diu

expectatissi

expectatissimam condidit, stipendiîs auxit, censu ditavit; tum vehementer lætari visus est, si sanctissimum ibidem delubrum laudibus Divinîs repleri, Familiam Religiosorum augeri, ac in dies nova pietatis studia excitari inaudiêrit. O beneficia non uni Conventui, sed toti Provinciæ utilissima! beneficia non hominis, sed virtutis! Discite tenacis dexteræ populares, si quos maximum vectigal in parsimonia reponit, aut si quorum liberalitatis fructus ad paucos pervenerit, inani tamen subactus glòria vim probitatis amittere cogitur. Discite quomodò Illustrissimus noster Fundator præstitîs muneribûs, prostratus ante aras ad humilitatem sese recipiat, demissis modestè, ac collachrymantibus oculis, supinis manibus vultu ad pietatem composito, genibûs ad terram provolutîs, opus suum supremo Numini commendet, omnia eidem debita, omnia eidem tanquàm Auctori præstanda ex animo profiteatur, se verò dispensatorem, ac creditorem temporaneum, unum verò & solum Altissimum, *Dominum* suarum facultatum agnoscat, non gloriam, non laudem, non honorem inde quærat; omnibûs deniq; religionis officiîs beneficium cumulatum reddat. Atq; hinc est *ILLUSTRISSIME DOMINE* quòd cùm in multis gratia propriô animi vitiô corrumpatur, vel quia beneficiorum graves sint exprobratores, nimiiq; vicissitudinis exactores, aut leves omnino, quos paulò post muneris sui pæniteat; aliàs queruli, & minima momenta calumniantes; in Te omnibûs numerîs absoluta, primæq; derectrici magis ac magis conformatur regulæ, qui ut in tuis liberalitatis, atq; clementiæ operibus bonitati supernæ quantùm homini liceat, animum semper admovere, atq; conformare assvesceres, gratis omnia elargiri facis, nil inde præter placata reportando Numina. Enim verò est ne quis nostrûm, a quo vel saltem leviter rogari patereris, quin suspicatus aliquid à Te peti, indigentiis succurreres! est ne quis, â quo exoratus, frontem adduxisses, vultum avertisses, occupationes simulasses, longis sermonibûs, & de industria non invenientibus exitum, occasionem petendi abstulisses! est ne quis, cui subsidium postulanti negasses, aut promisisses sed difficulter, sed subductis superciliîs, sed

I2 impro-

improbis, & vix exeuntibus verbis? Agite Religiosi Fratres, qui limine Fundatoris portum suæ egestatis invenisse arbitramini, an deerat aliquid vobis ad honestè traducendam vitam, quod vel è facultatibus Illustrissimi Fundatoris indigentiæ vestræ non subveniret, vel tempestivè non provideretur; quid illò liberaliùs? quid vestræ mendicitati accessibiliùs? quid paupertati munificentiùs? o quàm hic vastus laudationis Tuæ *ILLUSTRISSIME DOMINE* campus est! quòd dum alii solis in Patriam meritis ad posterorum memoriam perventuros se sperant, Tu insuper meritis in Patriam, liberalitatem in Religiosos Ordines addidisti; ut sic Reipublicæ Senator augustissimus, & Christianæ religionis cultor eximius ab omnibus ætatibus prædiceris, atq; collauderis. Sed cùm testata in aliquem officia quamvis de se magna sint, nisi tamen in extrema rerum vicissitudine experiantur, parva fortassis culpiam videantur: erat aliquid ultrà, quod effusa erga nos beneficentia munificentissimi Fundatoris expeteret: erat quô ad summum apicem perduceretur: Cœnobium Trocense erexit, Ecclesiam magna ex parte ditavit; hoc in Domo JUDYCCIORUM neq; est novum, neq; inusitatum: JOANNES JUDYCKI Notarius terrestris Rzeczycensis, & NICOLAUS Eques Melitensis, Comes in *Mysz* idem fecisse leguntur: alter eorum bona sua Ecclesiæ *Strzeżynensi* perpetuò oppignoravit, postremus Ecclesiam & Collegium PP: S: I: in suo Comitatu Myszensi exstruxit: erat igitur quò ultrà pergeret, atq; compleretur: defuit munificentissimo Fundatori tempus, quô Fratres totius Provinciæ de suis facultatibus aleret, quantâq; in Ordinem nostrum pollet benevolentiâ cunctis ad oculum ostenderet. Illud porrò summæ religionis officium quàm comiter, quàm piè, quàm ardenter in præsenti Capitulo quando ob bellorum tempestates in maxima rerum inopia Urbes & oppida versantur, exequutus est, taceri impossibile, eloqui difficile, DEO autem ad retribuendum commendare justissimum est. Accedit, quòd sicut in toto universo nihil est præstabiliùs, aut calamô digniùs, quàm beneficiorum, gratiarumq; uberrimos in alios effluere fontes, ita è contrario nihil vituperabiliùs, &

homini

homini inconvenientiùs, quàm eorum nullam apud animos recordationem retinere, cùm nuspiam justiùs hominum obsequia in dominium pertrahuntur aliorum, quàm ubi animorum magnes intercedit beneficium. Sic ipse Servator mundi ab iis, quos virtute Divina curari à lepra fecit, requisivit gratias, sic natura beneficii, sic ratio sanior, sic consilium dictitare videntur. Et si id verum est, quanta officia nos manent, quantæ gratiarum actiones cervicem nostram præstolantur, ex ipsa beneficiorum licebit conjicere magnitudine. At quæ potest existere tanta ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam Divinum atq; incredibile Orationis genus? quô quisquam possit Tua in nos universa promerita, non dicam complecti gratias pro singulis referendo, sed percensere numerando? qui nostrum Capitulum integerrimum, qui Fratres, qui domesticos satis abundè propriis impensis suscepisti alendum. Nam si multùm Tibi debeamus, quòd Provinciam nostram opum Tuarum munificentiâ cumulaveris, si multò plura, quòd eamdem ex animo apud alios Dominos protexeris, si plurimùm, quòd eidem in tertia Regula S. FRANCISCI nomen dederis, quantùm debere Tibi dicendi sumus, quòd ejusdem Filius simul & Pater piissimus, cliens & Benefactor amplissimus nuncuperis. Non inficiamur proinde hocce eodem dicendi genere plurima laudis Tuæ esse intermissa, aut non ex æquo celebrata, multa inculta ac impolita, utpote brevitate temporis, ingeniiq; elaborata, multa deniq; non digesto ordine pertractata, ita, ut hoc rude opus absq; novo in manus Tuas beneficio devolvi ipsô factô non præsumitur. Cùm tamen internæ propensionis erga Te nostræ documenta aliter quàm scriptis testari haud possent; hoc, quod oratione ista nostra publici juris fecimus, illius, quam in corde gerimus devotionis, ac quantam exposcit à nobis Tua illa in nos effusa benevolentia, gratitudinis, vivos ac expressos intelligas necesse est characteres. Si tamen characteres dici possint, quæ modicam quamdam nostræ voluntatis præseferunt similitudinem, minùs quippe testata in DEUM pietas verbis, quæ aliquando colorata inspirat assentatio, quàm

K alacri

alacri compensandi voluntate ponderari valet. Non opus istud igitur *ILLUSTRISSIME DOMINE*, sed animum pensandum esse volumus, quò, ut Tibi centuplum boni superi retribuant, interdiu noctuq; laborare non desinemus. Et cùm Te immortalem per humanæ conditionis leges esse non liceat, nullo nos non tempore solicitos experiêre: ut Te Numen clementissimum, cui summum rerum omnium est imperium, conservet quâm diutissimè: totq; ut vivas annos, quot hujus nostræ Orationis conspicies literas, quotq; nostra desideria Tibi adprecantur. Ut vivas salvus & incolumis, ad altiores, altioresq; in Republica dignitates, *Patriæ* charus, quam Tuis cumulâsti meritîs, Civibus amabilis, quibus protuisti obsequiîs, nostræ demùm Religioni saluber, quam innumeris dotâsti muneribûs.

Hæc sunt Tuorum studia: hæ totius Capituli acclámationes. Excipe igitur *ILLUSTRISSIME DOMINE* Fundator gratiosissime, excipe debita dignitati, debita pietati, debita constanti in nos benevolentiæ totius Provinciæ obsequia. Augeat Tibi cælum honores, honoribusq; addat ætatem, ut quantùm rerum secundarum desideras, ad mentem fiat, hocq; pactô nostra augeantur gaudia, Sic Tua nobis notissima spondet probitas. Sic nostrum Capitulum. Sic tota Litvana ex animo adprecatur Provincia.

PROPOSITIONES
THEOLOGICÆ
Ex Tractatu
De DEO Incarnato
Menti Doctoris Subtilis & MARIANI
CONFORMES

I.

UT â genere Incarnationis Mysterium incipiamus; dicimus illud contra Gentiles (si qui sunt) esse possibile; quamvis eamdem possibilitatem non inficiamur demonstrari non posse positivè, benè tamen negativè,

II.

DEOq; Summo Bono Incarnationem exactissimè convenire.

III.

AD quam tamen èxequendam (ut alios fines omittâmus) etiam ex suppositione satisfactionis condignæ pro peccatis generis humani, non necessitabatur DEUS, cùm de potentia ejus absoluta id præstare potuit pura creatura donis supernaturalibûs ornata.

IV.

QUòd Christianis primum & præcipuum fidei dogma est (loquimur de Incarnatione) hoc *Judæis* juxta Apostolum 1. Cor. 1. *scandalum*, quorum perfidiâ quam-

Kz vis

vis multis Prophetarum premitur oraculis, nos tamen missis cæteris, duo, quibus abundè demonstratur Messiam in lege promissum jam dudùm advenisse, in medium proferimus: alterum Jacobi Gen. 49: v: : & 10 *Juda, te laudabunt Fratres Tui, adorabunt Te Filii Patris Tui, non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium.* Alterum Danielis c: 9: v 24: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem Sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & Prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum &c:* Sed quoniam non desunt pleriq: perditissimi Rabbini, qui victi testimoniis Prophetarum maluerunt intrudere alios Messias, quàm JESUM Crucifixum, nempe Dositheum, Simonem Samaritanum, Barchochebam, Davidem Eldavidem, ac Vespasianum ipsum &c. proinde contra eos profitemur:

V:

JESUM Nazarenum esse Messiam in lege promissum. Qui

VI:

QVamvis defactò venit in mundum ad liberandum hominem â peccato (ut fides dogmatisat contra Pelagianos) finis tamen adæquatus Incarnationis non est sola redemptio generis humani, sed principaliùs ipsa excellentia Christi, ac humanæ naturæ exaltatio, itá, ut Adamo non peccante, ex vi præsentis decreti Christus Dominus venisset.

VII:

CUm juxta Symbolum D: Athanasii Christus sit: *perfectus DEUS, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens,* necesse est, ut cum fide Catholica contra Arianos in illo admittamus veram animam humanam: mente quoq: præditam, quam negabat crassus error Apollinaris: duas pariter voluntates Divinam & humânam; earumq: duas operationes, quarum unam, nempe humanam perperam sustulerunt Monothelitæ.

VIII:

VIII.

COrpus Christi apparens duntaxat, quod Phantasiastæ somniabant, directissimè fidei, & sanæ menti adversatur, cùm illud Christus non è cælo detulit (ut erravit Valentinus aliiq;) sed sumpsit ex Virgine MARIA, proinde verum & reale habuit corpus: doloribus quoq; obnoxium.

IX.

DE fide agnoscimus contra Nestorium Unionem Verbi incarnati factam fuisse in unitate personæ. Quamobrem in Christo una est Persona, non duæ, tum quod sequitur: B. V. MARIA, verè & propriè est Mater *DEI*, Græcis Theotócon, Latinis Deipara.

X.

SEntentiam illam, quâ Eutyches insanivit docendo commixtionem naturarum, Divinæ & humanæ in unam naturam, ut potè contrariam veritati Ecclesiæ Catholicæ reprobamus, asserentes etiam post unionem duas esse in Christo naturas distinctas, & impermixtas.

XI.

EX unione substantiali Verbi cum humanitate Christi sequi communicationem idiomatum in concreto, Nestorio non placuit; Catholicis verò viris placidissima veritas est: in abstracto tamen dari communicationem idiomatum (ut volunt Ubiquistæ) inficiamur.

XII.

CHristum verè & propriè pro nobis satisfecisse, contra errorem Socinianorum, firmissimum omnium Catholicorum dogma est.

XIII

CHristus ut homo non est Filius DEI adoptivus, nec servus propriè, sed est Filius DEI naturalis. Idemq;

XIV.

VT homo in primo instanti Conceptionis habuit scientiam beatificam perfectam, non tamen comprehensivam.

XV.

LIbertas Christi cum impeccabilitate optimè conciliari potest dicendo eumdem ideô mortuum esse liberè, quia liberè acceptavit præceptum moriendi,& libere se determinavit ad mortem subeundam.

XVI.

CUm detur in Christo verum ac propriùm meritum, necessê est, ut admittamus eumdem mereri á primo conceptionis înstanti, usq; ad extremum vitæ suæ Spiritum, & non ultrá.

XVII.

CHristum Dominum hîs titulîs insigniri, nempe quòd sit; Caput Ecclesiæ, Rex, Judex vivorum & mortuorum, Sacerdos, Patronus noster, Mediator DEI & hominum. Cujusq;

XVIII.

HUmanitatem, prout conjuncta est Verbo, adorari cultu latriæ absoluto.

XIX.

CUm Cerinthus & Ebion aliiq; ejusdem fûrfuris perditissimi homines conati sunt suis aculeatis scriptîs, adimere Virginitatem B. V. MARIÆ; contra eos igitur pio Catholico dogmate defendimus MARIAM Matrem Christi fuisse Virginem, ante partum, in partu, & post partum. Eamq;.

XX.

FUisse immunem ab omni actuali peccato.

Ad

M. D. G.

PRopugnabuntur publicè, sub tempus Capituli Grodnæ ad S. CRUCEM Inventam celebrandi, á P. Fratre BERNARDINO HENRICH Theologo Studii Generalis Nesvisiensis consummato, sub Assistentia A. V. P. Fratris IUVENALIS CHARKIEWICZ Sacræ Theologiæ Lectoris Generalis, ejusdemq; in Conventu Nesvisiensi Professoris Actualis.

Annô MDCCLX Die Januarij.

BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

Biblioteka Jagiellońska
stdr0026197